



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

17. Marsis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

vósque à Cheruscis, injurijs incursionibusque prohibuit; etiam pro parte aliquâ cis Visurgim habitârunt. Dio. lib. 54. de Druso: *Lupia fluminis ripis ponte junctis, Sigambros irrupit, perque eos in Cheruscorum fines usque ad Visurgim processit.* Ifac. Pont. de orig. Franc. l. 1. c. 9. *pro parte cis Visurgim coluisse non abnuerim.* Cluver. l. 3. Ger. antiq. c. 19. Maxime Arminio duce gens hæc floruit, qui Chattos & Cheruscis, cum quibus illi, teste Tacito. 12. An. *eternum discordant,* conciliaverat, ut aliquamdiu junctis viribus Romanorum imperium propulsarent; eo vero defuncto recruduit vetus odium, & sequutum, quod Tacit. de morib. Germ. memorat. *In latere Cauchorum Cattorumque, Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt, idque jucundius, quam tutius fuit. quia inter impotentes & validos falso quiescas. ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni equique, Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur. Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. tacti ruinam Cheruscorum & Fosi, contermina gens. Mansere tamen adhuc ævo Claudiani veteres ad Albim sedes, noménque Cheruscorum: quod ipse testatur in panegy. de IV. consulatu Honorij.*

*Et ingentes Albim liquere Cherusci.*

16. BRUCTERIS. Non solum Cherusci, verum etiam Bructeri Varianam cladem effecerunt, qui propterea sua exusserunt, atque à Germanico vastati. Tac. 1. An. *Bructeros, sua urentes, expedita cum manu L. Stertinius, missu Germanici, fudit: interque cadem & prædam reperit Unde vicesima legionis aquilam, cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum: quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum.*

17. MARSIS. Antiqua, & claræ originis in Germaniâ gente. Tacit. de morib. Germ. *Celebrant carminibus antiquis Tuistonem Deum terræ editum, & filium Mannum, originem gentis*



gentis conditorésq; Manno tres filios assignant. &c. Quidam autem, licentia vetustatis, plures deo ortos, pluresq; gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Svevos, Vandalios affirmant: eaq; vera & antiqua nomina. Maximè ijs infestus Germanicus fuit, abolendæ infamiæ causâ, ob deletum cum exercitu Quintilium Varum, à Tiberio in Germaniam missus. Tacit. 1. An. *Ventumq; ad vicos Marforum, & circumdata stationes. Quinquaginta millium spatium ferro flammisq; pervastat. Profana simul, & sacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfane vocabant, solo exquantur.* Idem lib. 2. ipse (Cæsar) majoribus copijs Marsos irrumpit quorum dux Malo vendus, nuper in deditioem acceptus, propinquo luco defossam Variæ legionis aquilam modico presidio servari indicat. Causa igitur hujus vastationis, & irruptionis non alia, quàm quod Varum, per fines Marforum ad Amisiam, Dalichium, & Aldenbecam porrectos, ad Visurgim proficiscentem, ab ijsdem & conterminis populis cæsum meminerat. Cluver. lib. 3. Germ. antiq. c. 11.

## SALTUS TEUTOBURGIENSIS.

I. **S**ALTUS TEUTOBURGIENSIS. Meminit hujus saltus Tacitus. lib. 1. An. *Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum; quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum. haud procul Teutoburgiensi saltu.* Quibus verbis satis designavit, quo loco situs sit, & quærendus, nempe inter desertum Sinedi, & Dethmoldiam, Hornamque oppida, ubi mons Teuteberg antiquum nomen hodie retinet; cui descriptio